



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 1. De Sardoo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

tus Ponto Euxino conficitur.

Tertia est Pomponij Melæ in tres tantum Sinus: sic enim loquitur cap. 3. lib. 1. Mare quod primo Sinu accipit Ægeum dicitur: quod sequenti in ore Ionium, Adriaticum interius: quod ultimo nos Tuscum, Graij Tyrrhenum perhibent.

Quarta est Strabonis lib. 2. in 5. Sinus, nam quatuor Plinianis addit quintum, quod oppositum Euxino vocat ad dextrum Asiae Minoris latus, conflatum ex Ægyptio, Pamphylo, & Issico; quem unâ voce Eustathius in Dionysium Παρθένον κόλπον appellauit.

Quinta est Solini cap. 26. vbi mare interius ita diuidit: Ægyptium Pelagus Asia datur: Gallicum Europe; Africum Libye: his ut queque proxima sunt venerunt in partes partium. Sed hac diuisione Ægæum, & Euxinum excludit.

Sexta est Aristotelis 2. Meteor. cap. 1. vbi agit de profunditate maris, & sic enumerat haec nomina, Πόντος, Αἰγαῖος, Σικελίκος, Σαρδονίκος, Τυρρηνίκος; vbi tamen transpositio irrepit, nam Tyrrhenum præcedere debet Sardoum.

Septima denique ex omnibus illis conflatur, diuiditurque *mare Interius in Sardoum, Tyrrhenum, Ionium, Ægium, Euxinum, Parthenium, Libycum*: quibus iunges Caspium, siquidem hoc cum Euxino iunctum cuniculis, plerique contendunt.

C A P V T I V .

De Sardoo & Tyrrheno.

§. I. De Sardoo.

SARDOVUM mare dicebatur quidquid à freto Gaditano ad Sardiniam porrigitur, ut ex Aristotele constat 2. Met. cap. 1. Eratosthene apud Plinium lib. 3. cap. 3. Strabone lib. 5. Polybio denique lib. 3. apud quem Rhodanus Fl. cadit in Sardoum mare.

Sed amplum illud maris spatum varia fortitutur nomina, ex regionibus quas alluit, ea nos ex Ptolemæo, Strabone, Plinio, Melæ, & aliis colligemus.

IBERICVM ab utroque latere Libyæ, & Europæ decurrit, & nomen habet ab Ibero nobilissimo Hispaniæ fluvio. Eius limites Ptolem. assignat versus Hispaniam Charidemi Prom. versus

Mauritaniam ostium *fl. Malue*, Strabo tamen lib. 2. & Scylax versus Europam hoc ad Rhodanum fluuium promouent: Dionysius toti Hispaniae coextendit, quod & Plinius facit, sed HISPANICVM vocat: Ioannes Mariana Hist. lib. 1. cap. 13. Ibero Fl. coeret, sed auctorem antiquum non laudat.

BALEARICVM ab insulis Balearibus dictum quas alluit apud Ptolemæum ab Charidemo Prom. ad radices montis *Pyrenæi* extenditur.

GALLICVM ab eodem *Pyrenæi* pede ad *V arum Fl.* Italæ limitem effunditur. Apud Solinum Oceanus Gallicus vocatur, à Strabone *Ora Celta*, ab Eustathio *Galaticum mare*.

LIGVSTICVM apud Ptol. duobus fluuiis restringitur *V aro*, & *Marcallâ*, vulgo *Macra*, & ad Oram *Corsice* dilatatur. Prolati autem Liguriæ limitibus ad *Arnum* usque fluuium extensum est; sicut & olim *Rhodanum* usque, ut ex Scylace colligimus. Apud Eustathium pars eius mare CYRNU M nominatur videlicet ad *Corsicam* quæ & *Cyrnos* dicta est. Αλμωρόν apud Dionysium non propriè, sed Poëtico flexu appellatur, sicut & Αγυστία αλμύ *Ligustica* falsugo.

SARDO V M propriè dictum insulæ *Sardinie* occiduum littus latuat, & Mauritaniam Cesariensem inter fluuios *Maluam*, & *Ampsam*. Hoc Mare ait Dionysius μορμώρεθαι infremere; quam vocem reddit Priscianus *liuescere*, non male, ob eius profunditatem cuius Strabo, Plinius, & Aristoteles meminere. Quod autem apud Strabonem Xilandri Latinum legitur iunctum Cretico, Siculo, & Myrtoo, ineptè vox *Myrtoum* irrepfit, quâ Græcus tex-tus caret, quod Casaubonus non aduertit.

§. 2. De Tyrrheno Mari.

TYRRHENUM mare à Tyrrhenis piratis nomen habet, qui hoc mari potiti sunt, ut ait Dionysius; aut ut eius Scholiares hic sui latrociniij fixere sedem: vel ut ait Isidorus, quod in illud sese præcipitassent. Dionysius Halicarnasseus AVSONIVM quoque dictum esse ait, ab Ausonibus populis eius oram incolentibus. Dicitur aliter & Tuscum, item & Inferum; apud Plinius NOTIVM pro quo male legitur apud Solinum Ionium. Eius autem maris limites apud Ptolemæum sunt *Marcalla Fl.* &

O iiij